

Excommunicatio contenta in dicto decreto, non est reservata.

11. *Recepta ubi sufficienter authentica & recepta. In Lusitania non est recepta ibid.*

De 7. Septembr. anno 1624. manavit aliud decretum Sacrae Congregationis jussu Urbani VIII. sub excommunicatione latae sententiae, ac privatione omnium officiorum & inhabilitatis in perpetuo ad illa; si fiat alienatio absque licentia Sacrae Congregationis, nisi tantum in casibus expressis in jure; & confirmat Extravagantem, Ambitiosa, & adhuc revocat omnia privilegia, ac indulta regularibus concessa: eam referunt Bonacina de Alienatione, g. uni. punct. 1. n. 8. Lezana tom. 1. c. 10. c. 2. Pellizar, tract. 6. c. 8. n. 3. & Tambur. tom. 3. disp. 13. g. 6. n. 2. Excommunicatio ibi posita non est reservata; ut notant Gavantus in manuali, n. 28. & Lezana eodem verb. Alienatio, n. 20.

11. An vero haec constitutio Urbani sit ubique recepta in usu, ac praxi maxime dubitatur, ac proinde virtute illius, an etiam sint revocata concessa privilegia Regularibus ad alienandum. Respondeo, quod ubi hoc decretum fuit sufficienter authenticum, promulgatum, ac receptum, ibi obligat; secus vero, ubi non est sufficienter authenticum, promulgatum, ac receptum; ad aliud simile decretum Urbani VIII. ita respondet Quintanus multa adducens argumenta, & multos Auctores; ut refert Diana g. p. tract. 6. Resol. 6. Urbani tract. 2. disp. 1. g. 1. Regul. 7. Fr. Martin. a. S. Joseph. fol. 530. Vidal. iii. de casib. reservat. inquis. c. 121. Tambur. in methodo Confess. lib. 3. c. 7. §. 4. n. 17. M. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto tom. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 4. n. 160. Ubi testatur hoc decretum non fuisse legitime promulgatum, ac receptum in hoc nostro regno Lusitaniae: nam contrarium passim vidimus practitari: & multas alienationes fieri a Regularibus, non servato decreto.

QUESTIO IV.

Explicantur quinque casus excepti a jure, in quibus licite sunt rerum Ecclesiasticarum alienationes.

SUMMARIUM.

- 12. Excipiuntur necessitas, pietas, incommoditas, utilitas, inutilitas.
13. Prima causa necessitatis ad debitum, vel ad sustentationem.
14. Secunda pietas ad captivos redimendos.
15. Tertia incommoditas, ut v.g. major fiat expensa, quam redditus.
16. Quarta evidens utilitas.
17. Quinta inutilitas, quia est infructifera.

Paul. II. Urban. VIII.

T Am in Extravaganti Pauli II. Ambitiosa, quam decreto Urbani VIII. in quibus prohibentur alienationes rerum Ecclesiasticarum subditur: Praterquam in casibus jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis. Excipiuntur

a talibus constitutionibus, ac dispositionibus casus expressi in jure. Quinam sint hic casus inquirendum est, & quinque communiter assignantur a Doctoribus: necessitas, pietas, incommoditas, major evidens utilitas, & inutilitas rei.

Primus casus est necessitas Ecclesiae, ut si debitum urgeat ab ipsa Ecclesia contractum, vel si nullo alio modo possibili potest subvenire praesenti necessitati: Authentica, Sancimus, C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Marcus Antonius Genuensis practica Ecclesiastica. g. 459. num. 2. Castro Palau tom. 2. tract. 12. quasi. unica, punct. 15. §. 2. n. 2. Barbosa de potestate Episcopi part. 3. allegat. 95. num. 23. Et tanta potest esse necessitas, ut liceat sine solemnitate rem aliquam alienare. Ita Rebuffus, Quaranta, quos citant, ac sequuntur Dicastillus de justitia, lib. 2. tract. 15. disp. 1. dub. 6. n. 186. M. Fr. Anton. ab Spir. Sancto. Director. tom. 2. tract. 3. disp. 6. n. 1208.

Secundus: Pietatis causa: verbi gratia, pro Redemptione Captivorum, vel pro alimonia pauperum, ad exemplum Sanctorum Patrum, ne fame, & frigore pereant. Ita Glossa c. 1. 12. quasi. 1. Franciscus Leo in Thesoro fori Ecclesiastici, part. 1. cap. 15. num. 9. & instructa de rerum divisione, §. Sacra, l. Sancimus, C. de Sacrosanctis Ecclesiis, c. Aurum Ecclesia, 12. g. 2.

Tertius: Incommoditatis causa, ut quando res est Ecclesiae incommoda, veluti si res aliqua potius afferret Ecclesiae incommoditatem, quam utilitatem, ut quia nullus, seu modicus ex ea percipiatur fructus, vel quando expenditur plusquam redditus, tunc potest alienari in d. sine exceptione, & l. sed an ulro, §. 1. ff. de negot. gestis. Marcell. Vulpe, quem citat, & sequitur Barbosa allegatus n. 24.

Quartus: Major & evidens utilitas Ecclesiae, cap. Ut super de rebus Ecclesiae non alienandis. Vivir. tom. 1. comm. opinionum, tit. 1. n. 36. vers. 9. pag. 150. & ita potest vendi unus ager, ut ematur melior. Riccius, Quaranta, & alii quos refert & citat Dicastillus supra, num. 188. Barbosa citatus, num. 45. & inde probat cum Antonio, Gabriele, Mascard, Rebuff. & Rodriguez, quod contractus si sint utiles Ecclesiae; quod sunt validi, etiam si fiant sine solemnitate, & hoc non debet esse qualibet utilitas, sed evidens cum multa securitate, ac firmitate.

Quintus casus, cum res est inutilis, tunc Praelatus illam alienare potest, cap. Sine exceptione, 11. g. 2. cap. Non liceat, 12. g. 2. cap. Terrulas, Clement. 1. de rebus Ecclesiae non alienandis l. Invenimus, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. Unde si in refectione domus, majores futurae sint expensae Ecclesiae, quam utilitas, potest alienari. Authent. si quas, C. illo tit. Ex quo patet, quod emphyteusis perpetua bonorum Ecclesiae fieri potest de rebus incultis parum utilibus Ecclesiae, ut tenent Rebuffus, Capyc, ac sequuntur Gamma decisi. 103. num. 1. Caldas Pereira de nominat. emphyt. quasi. 23. num. 5. §. 56.

13. Auth. Sanc. Marc. Ant. Gastr. Pal. Barbosa. Rebuff. Quaranta. Fr. Ant. ab Spir. Sancto. 14. Glossa. Franc. Leo. Instituta. L. Sancimus. 15. C. Sine Excep. L. sed an. Vulpe. Barbosa. 16. C. Ut super. Vivir. Riccius. Quaranta. Dicastill. Barbosa. Ant. Gabr. Mascard. Rebuff. Rodrig. 17. C. sine. C. Noa. liceat. C. Terrulas. L. Invenimus. Auth. si quas. Rebuff. Capyc. Penedo. Quaranta. Camillus. Gamma. Pereira.

QUESTIO V.

An in his praedictis casibus, ut fiat alienatio consulenda sit Sacra Congregatio?

SUMMARIUM.

18. Status questionis. 19. Adhuc in illis casibus necessaria est facultas Sacrae Congregationis.

18. Extravag. Urb. VIII.

19. Lezana. Pellizar. Barbosa.

In Extravaganti Ambitiosa: prohibetur quod non fiat alienatio, nisi Consulto Romano Pontifice; & Decreto Urbani VIII. ait, quod non fiat, nisi habita licentia a S. Congregatione; & tamen in talibus Decretis excipiuntur casus a jure permissi, qui sunt illi quinque superioris questionis annumerati; ideo in praesenti inquiritur, an ad illos necessaria sit facultas S. Congregationis?

Respondeo affirmative. Ita M. Lezana, tom. 1. c. 10. n. 4. Pellizar, tract. 6. c. 8. n. 123. Barbosa cum multis de potestate Episcopi, part. 3. allegat. 95. num. 2. quia Sacra Congregatio reservat sibi jus judicandi, an in tali casu cum talibus circumstantiis detur vera causa: vera necessitas, utilitas: vel inutilitas ad alienandum; & quamvis hi casus sint permissi a jure, tamen non potest fieri alienatio, nisi interveniente causa, quae judicanda est a Sacra Congregatione, quae sibi hoc judicium reservavit, & merito sane, quia experientia compertum est quod saepe necessitas, utilitas, vel inutilitas ad alienandum fabricatur, ac componitur ob varios respectus, & ideo sanctissime S. Congregatio judicium de tali utilitate vel inutilitate sibi reservavit, ut observatur communi praxi in Curia Romana.

QUESTIO VI.

Quae solemnitates requirantur ex jure ad alienandam rem Ecclesiasticam?

SUMMARIUM.

- 20. Quinque requiruntur.
21. Prima: licentia Praelati juxta suas constitutiones.
22. Secunda: tractatus Capituli, seu communis.
23. Tertia: Consensus Capituli, & n. 24.
24. Quarta conditio: subscriptio, & sufficit per manum notarii.
25. Si minor pars cognoscit evidenter damnum esse, non tenetur subscribere.
26. Quinta conditio: licentia Congregationis, & n. 28.
27. Si contractus sit in favorem Ecclesiae est validus, etsi ei desit aliqua solemnitas.

20.

Secundum jus antiquum, quatuor requiruntur conditiones ad alienandam rem Ecclesiasticam, scilicet, auctoritas Praelati tractatus habitus cum Capitulo, illius consensus, singu-

lorum subscriptio, saltem per Notarium, nunc vero ex decreto Urbani VIII. addenda est quinta conditio, scilicet, licentia S. Congreg. Prima conditio est Auctoritas Praelati, id est, illius licentia, Abbatis in Monachis, Provincialis in Mendicantibus, Generalis in Societate. Ita Molina tract. 2. disp. 468. n. 12. Azor. p. 2. l. 9. c. 1. g. 4. Filiuc. tract. 44. cap. 5. num. 11. & 12. Addit tamen Bordon. tom. 1. Resol. 27. num. 28. de jure communi ad alienanda, bona Monasterii; quod sufficit facultas Praelati localis, scilicet, Prioris; tamen in hac re consulenda sunt propriae Constitutiones uniuscujusque Religionis, nostrae vero Carmelitanae Constitutiones p. 1. c. 2. n. 9. requirunt ad alienandum, licentiam Generalis, vel Capituli Provincialis.

Secunda conditio: Ut fiat tractatus; nempe, ut convocatis Religiosis Monasterii proponantur, & examinentur causae alienationis, an convenientur; ut habetur ex Clement. de rebus Ecclesiae non alienandis; tamen ex privilegio Pii V. concessio anno 1566. & Gregorii XIII. anno 1575. sufficit consensus ipsius Generalis ut advertunt Molina proxime citatus, & Filiuc. ut supra, num. 9. & alii apud eos, Castro Palau tract. 9. disp. unica, de rebus Ecclesiasticis non alienandis, part. 1. §. 2. num. 9. ubi advertit, quod jus requirit tractatum, in singulari, ac proinde unus tractatus sufficit nempe, a Generali.

Tertia conditio: Ut detur consensus, discusso tractatu, & examinata re, requiritur Capituli consensus, & debet esse expressus, c. de his, quae fiunt a Praelato; & hic consensus sufficit, quod sit a majori parte Conventus uno suffragio excedente. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 11. & hic consensus non requiritur, quod detur in ipso Capitulo congregato, sed sufficit quod detur singulariter: nam consensus singulariter datus, dicitur consensus Capituli, ita Sylvester, Vasquez, Bonacina, quos citant, ac sequuntur Castr. Palau supra, n. 10. Dicastillus de justitia, lib. 2. tract. 1. §. disp. 1. dub. 9. n. 299.

Qui advertunt, quod si Praelatus sine consensu Capituli alienat bona Monasterii, alienatio est invalida: cap. Irrita, c. Continebatur de his, quae fiunt a Praelato, Capitulum tamen potest postea illa ratam habere, c. Cum nos jam pridem de his, quae fiunt a Praelato.

Quarta conditio est: Ut fiat subscriptio a Capitularibus, c. de his quae fiunt a Praelato, sufficit tamen quod fiat manu notarii ut tenent Molina, & Lessius, quos citat, ac sequitur Dicastillus citatus n. 214.

Tamen dubitatur, si minor pars Conventus non consentit alienationi teneatur subscribere? Respondeo non teneri, si id, quod determinatum est, agnoscitur esse in damnum, ac praedictum Conventus, non tenetur subscribere, imo reclamare, & appellare ad superiorem, ita constat ex cap. si quis Presbyter de rebus Eccles. non alienandis, Peirius, quem citat Pellizar. tom. 1. tract. 6. c. 8. n. 123. Si vero dubitatur an illud sit conveniens; tunc tenetur subscribere, & conformare se cum majori parte communitatis, & ita observatur in Senatu Regio.

Quinta conditio: licentia S. Congregationis

Urb. VIII. 21. Molina. Azor. Filiuc. Bordo. Const. Car. Clem. de rebus, Pius V. Greg. XIII. Molina. Filiuc. Castr. Pal. C. 1. de his. Suar. Sylvest. Vasquez Bonacin. Castr. Pal. Dicastil. C. Irrita. C. Contina. C. Cum nos. C. 1. de his. Molina. Lessius. Dicastil. C. Si quis. Peirius. Pellizar. 27.

Urb. VIII. ex decreto Urbani VIII. quia ad alienandum requiritur iusta causa; ut fatentur omnes. Filiucius tractatu 44. cap. 5. num. 12. jus autem iudicandi an in casibus occurrentibus detur iusta causa alienandi sibi reservat Sacra Congregatio Lezana tom. 1. cap. 10. num. 4. Pellizar. citatus §. Queres. num. 47. quæ licentia habenda est in scriptis, ut multipliciter declaratum est à S. Congregatione, & observat praxis Romanæ Curie.

28. Proindeque quamvis aliæ Religiones habeant indulta à Sede Apostolica alienandi sua bona, ut Carmelitæ à Gregorio XIII. Patres Societatis ab eodem Gregorio, & Patres S. Augustini ab eodem Gregorio, Urbanus VIII. revocavit omnia privilegia regularibus concessa ad alienandum. At solum videntur ibi revocari privilegia regularium quoad hoc, ut non possint fieri alienationes sine consensu ipsius Congregationis; non autem quoad alia quæ pertinent ad earum solemnitate. Lezana tom. 2. c. 19. g. 62. Pellizar. citatus, n. 111.

29. Advertendum tamen est cum Azor. Regin. Sylvestr. Rodrig. Naldo, & aliis, quos citat, ac sequitur Diana tom. 1. tract. 7. Contractum initum in gratiam & utilitatem Ecclesiæ, etsi ei desit legitima forma, ac solemnitas, esse validum, cum forma requisita ad evitandas fraudes cessantque fraudis periculo, talis solemnitas non est necessaria, quæ introducta fuit in gratiam Ecclesiæ, ne vertatur in illius damnum Ita Guier. in. 99. Canon. tom. 1. lib. 2. g. 23. n. 9.

QUESTIO VII.

Proponuntur aliqui casus in quibus licita est alienatio, vel pignoriatio rerum Monasterii absque solemnitate juris, vel licentia Sedis Apostolicæ.

SUMMARIUM.

- 30 Si necessitas urget non est necessarium, & num. 31.
- 32 Causa data utilitatis Ecclesiæ ne elabatur.
- 33 Licet remittere hereditatem nondum incorporatam Monasterio.
- 34 Permutatio rei unius Ecclesiæ in aliam.
- 35 Donatio inter fratres, & conventus ejusdem Provincia, & n. 36.
- 37 Si res est exigua, licet.
- 38 Alia remissive, & n. 39.

30. **M**ateria hujus questionis valde frequens est apud Religiosos. Primus casus: si vehemens, ac urgens necessitas irruat, ut minimè possit expectari beneplacitum Papæ, v. g. si deficiat victus pro Religiosis, vel pro alendis pauperibus, vel ut captivi redimantur à Piratis, &c. tunc non solum bona immobilia, sed etiam pretiosa mobilia, licitè non tantum pignoriari, sed etiam vendi possunt, Ita Abbas, Rebuffus, Ugolinus. Quaranta, quos citat, ac sequitur Tamburinus tom. 3. de jure Abbatiæ, disp. 13. quest. 9. n. 4. Molina de justitia, tom. 2. disp. 468. M. Lezana tom. 1. cap. 10. num. 4. Peirin, in suo formulario, litt. A,

Abbas.  
Rebuff.  
Ugolin.  
Quaranta.  
Tambur.  
Molina.  
Lezana.  
Peiria.

cap. 11. num. 3. Filiucius tom. 3. tract. 44. cap. num. 11. & hanc resolutionem esse communem inter omnes Doctores testatur Diana p. 5. tract. 3. Resol. 6.

Probatur: quia lex non ligat, quando de facto moraliter servari non potest. l. i. §. Dies, ff. quando appellandum. Deinde, quia lex servanda non est quando iniquus effectus sequeretur, si servaretur, ut probat D. Thomas 2. 2. quest. 120. art. 1. Tandem quia in qualibet prohibitione, censetur excepta causa, quæ propositum suadet, cap. de cetero, cap. Quamvis de sentent. excomm. Denique quia impossibilia nulla est obligatio, l. impossibil. ff. de Regulis juris.

Secundus casus: Data occasione magna utilitatis Ecclesiæ, & si expectaretur consensus Apostolicus elaberetur; tunc sine tali consensu fieri potest, Ita Filiucius, ac Quaranta, quos citant, ac sequuntur Ventigilia de alien. annot. 1. §. 3. num. 1. Delbene tom. 2. c. 17. d. eb. 23. num. 2. Quæ enim in favorem, & commodum sunt introducta, non debent in odium, ac damnum retorqueri, l. Nulla juris ratio, ff. de lege reg. quod ob gratiam de reg. jur. in 6. nam ut optimè notavit Cevallos, quem citat, ac sequitur Belafius verb. Alienatio, num. 7. Alienatio prohibita est voluntaria, non necessaria, seu quæ sit ex causa necessaria; quod est notatu dignissimum, ait Belafius, propter alienationes, quæ fiunt, quod etiam habet Bordon. t. 1. Resol. 27. n. 7.

Tertius casus: an liceat remittere, seu repudiare legatum, seu hereditatem Monasterio præscriptam, ac relictam, non tamen adhuc incorporatam Monasterio; hujus resolutio erit manifesta ex iis, quæ dicam g. 26. coincidit enim cum his, quæ ibi dicenda sunt.

Quartus casus est: si fiat permutatio, vel alienatio rerum in aliam Ecclesiæ; nam tunc bene possunt res Ecclesiæ alienari sine dictis solemnitatibus, ac consensu Apostolico patet ex c. Hoc jus porrectum §. sibi invicem, to. 9. 2. & c. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis. Ita Riccius, Peregrin. Megala, Bordon, Pascalg. Ita Tambur. citatus, n. 8. Delbon. tom. 2. c. 17. dub. 13. num. 5. Quæ doctrina maximè procedit inter Religiosos, qui sunt sub eodem Generali, ac Provinciali, qui habet omnium regimen.

Quintus casus est: si fiat donatio inter fratres ejusdem Monasterii, vel à Regulari unius Monasterii regulari alterius Monasterii ejusdem Provincia, vel donatio ab uno Conventu ad alium ejusdem Provincia, quia omnes Conventus unius religionis tanquam in unam Congregationem, ac corpus mysticum coadunantur, & ideo non videtur dominium translatum, si res unius Monasterii transfertur ad aliud. Ita Riccius, Tamburinus, Naldus, Delbene, quos citat, ac sequitur M. Fr. Anton. ab Spirit. Sanct. in direct. tom. 1. tract. 2. disp. 1. n. 69.

Nec obstat prohibitio Extravagantis Ambrosii, ac Decretum Urbani VIII. quia hæc intelliguntur de alienatione per quam transfertur dominium, vel de alienatione secularibus facta, vel alii Conventibus alterius Religionis, nec etiam obstat cap. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis. In quo dicitur non licere Abbati, terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis

Filiucius  
Diana.

31.  
C. 1. §. Dies.

D. Thom.

C. de Cetero.  
C. Quamvis.  
C. Impossibil.

32.

Filiucius.  
Quaranta.  
Ventigil.  
Delben.

L. Nulla.  
Cevallos.  
Belafius.

Bordon.

33.

34.

C. Hoc jus  
C. 1. de reb.  
Riccius.  
Peregrin.  
Megala.  
Bordon.  
Pascalg.  
Tambur.  
Delben.

35.

Riccius.  
Tambur.  
Naldus.  
Delben.  
Fr. Ant. ab  
Spir. Sanct.

36.  
Extravag.  
Decretum.  
Urb. VIII.

C. 1. de rebus.

Glossa.

Peiria.

37.

C. Terrulas  
S. Congr.  
Abbas.  
Redoan.  
Quaranta.  
Tambur.

Molina.  
Castr. Pal.  
Delbene.

38.

Sanchez.

Lezana.

Navar.  
Diana.

39.

Quaranta.  
Ugolin.  
Castr. Pal.  
Barbosa.

Rodrig.  
Molina.  
Lezana.

Barbosa.

Quamvis ambae sint sub ejus potestate: nam ut ibi explicat Glossa; non potest Abbas illud facere pro suo arbitrio, & sine causa, potest verò quando datur vera causa prudentis viri iudicio, ut quando unus Conventus multis abundans, alteri pauperi subvenit. Ita Peiria tom. 1. Privileg. c. 3. n. 22.

Sextus casus est: quando res est exigua, & modici valoris, sine consensu Apostolico alienari potest. c. Terrulas 12. quest. 2. & S. Congregatio declaravit Constitutionem Pauli II. & Conc. Trid. non derogasse cap. Terrulas. Ita Abbas Redoan. Quaranta, quos refert ac sequitur Tambur. t. 3. de jure Abbatiæ, disp. 13. g. 9. n. 2. Si verò quaras: quando res reputanda sit modici valoris? Respondet ipse, quod hoc prudentis viri iudicio judicandum sit, Molina, Castr. Palau, & alii, quos citat, ac sequitur Delbene tom. 2. c. 13. dub. 23. n. 4. Quod res modica alienanda sine consensu Apostolico sit res, quæ valet centum aureos.

Septimus casus est quando bona immobilia sunt relicta Monasterio incapaci talium bonorum. Ita cum multis Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 26. n. 30. & cap. 27. num. 17. Lezana tom. 1. cap. 10. num. 4. Idem dicendum putat de re mobili pretiosa relicta Monasterio incapaci bonorum immobilium, quæ bene alienari potest, cum Navar. Diana §. part. tract. 13. Resol. 8. ad primum.

Octavus casus est: si res est relicta cum tali onere, ut non alienanda ab Ecclesiâ; item si res est relicta cum tali onere: ut post aliquod tempus alteri restituatur. Ita cum Quaranta, Ugolin, & Castro Palau, Barbosa de potestate Episcopi, parte tertia, allegat. 96. num. 61. Item si sunt bona solita infundari, & in emphyteusim dari. Ita Rodriguez, Molina, quos citat ac sequitur Lezana tom. 1. cap. 10. numero quarto. Item si fiat pro remuneratione meritorum, quia ad hoc potest Prælati res Ecclesiæ alienare, quod cum multis probat Barbosa proxime citat. c. 62. dummodo tamen Prælati remunerationis metas, & limites non excedat

QUESTIO VIII.

Quenam sunt bona, quæ alienari prohibentur ab Ecclesiasticis?

SUMMARIUM.

- 40 Status questionis.
- 41 Immobilia non possunt alienari.
- 42 Mobilia pretiosa veniunt sub nomine immobilium.
- 43 Si hæc relinquuntur religioni incapaci possunt alienari.
- 44 Bona inutilia possunt alienari.

40.

**C**um Ecclesiasticis prohibita sit omnium rerum Ecclesiasticarum alienatio, omnique pactum, per quod transfertur dominium, omnique hypothetica concessio, locatio, conductio ultra triennium, ut diximus g. 2. & 3. quævis quænam sint hæc bona, quæ sub tali prohibitionem veniunt?

Sylveira Opuscula.

Primò, certum est in hac materia, quod in hac prohibitione interdicitur alienatio bonorum immobilium, sub quibus veniunt non solum res corporæ permanentes, ut vineæ, ac oliveta, sed etiam actiones, & jura, redditus diuturni temporis, quale reputatur illud quod est decem annorum, ac etiam jura, vel debita rerum immobilium, quæ eorum naturam participant. In conclusione, conveniunt omnes Doctores unanimiter.

Secundò, est etiam certum, quod res mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt; ut sunt vasa aurea, vel argentea; gemmæ, vestes aureæ, aut fericæ majoris pretii, aut copiosa Bibliotheca Monasterio relicta, & ingens grex ovium, aut similia rerum, quæ utiles & fructiferae sunt, pari passu, tanquam immobilia communi estimatione reputantur, & minimè alienari possunt. Ita l. Sancimus, Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. Azor. institut. Moral. part. 2. lib. 9. cap. 4. quest. 5. & 7. Barbosa de potestate Episcopi part. 3. allegat. 95. Suarez tom. 4. de Religione, tractatu 8. Lezana lib. 2. cap. 27. num. 16. & 18. Lezana tom. 1. c. 10. n. 4. Res autem pretiosa dicitur, si excedit pretium viginiquaque aureorum, ut declaravit Sacra Congregatio, & testatur Delbene tom. 4. cap. 27. n. 5.

Adverte tamen primò, quod si Religioni incapaci habendi immobilia, vel vasa aurea relinquatur etiam in testamento aliquid immobile, vel vas aureum, illa possunt absque solemnitatibus, & licentia Apostolica alienari, quamvis relicta fuissent sub hac conditione, ne alienentur. Ita tenet cum Rebuffo, Rolando, Hyppolit. Franco Quaranta, Filiucius tractatu 44. cap. 4. num. 32. Moron. Franc. resp. 62. num. 27. cum quibus convenit Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 26. num. 3. & cap. 27. num. 27. Quia prohibitio alienandi non est nisi pro bonis Ecclesiæ incorporatis, qualia non sunt bona relicta Ecclesiæ incapaci. Ita Castro Palau tractatu 13. disp. unica, de reb. Ecclesiæ non alienandis, part. 1. §. 1. num. 12.

Adverte secundò: quod sub hac prohibitionem non cadunt bona inutilia relicta Monasterio, verbi gratia, si Conventui Monasterium relinquatur copiosa Bibliotheca librorum Latinorum, seu Græcorum, Pellizarius tract. 6. Pelizar. cap. 8. num. 21. quia in hoc casu cessat finis prædictæ prohibitionis: nam talis finis est, ut consultatur utilitati, ac commodo Monasteriorum, ne eorum bona dissipentur; in præsentem autem aptius geritur negotium Monasterii, si venditur illa Bibliotheca, redactio ejus pretio pro re fructuosa Monasterio; ergo tali negotio optimè adimpletur finis legis; & ita in hoc regno Lusitanicæ à Collectore Apostolico in casu simili, declaratum est, ut Portel testatur Portel. part. 1. casu 17. num. 5. nempe Bibliothecam librorum Latinorum relictam cuidam Monasterio Monasterio posse vendi, converso pretio in rem fructiferam Conventui.